182

51

ORATIO

HABITA A JOANNE-ANTONIO

NOLLET,

LICENTIATO THEOLOGO,
Regiæ Scientiarum Academiæ Socio,

Cùm primum PHYSICÆ EXPERIMENTALIS Curſum Profeſſor à REGE inſtitutus auſpicaretur

In Regiâ Navarrâ, die Martis decimâ-quintâ menſis Maii, anno Domini 1753.

Univerſitatis juſſu edita.

EDITIO NOVA.



PARISIIS,
Apud THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographum, in Plateâ Cameracenſi.

M. DCCLIII.

184



ORATIO



HABITA A JOANNE-ANTONIO NOLLET,

Licentiato Theologo, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio.



ILLUCESCIT *tandem optatissimus dies*, SUPREMÆ RATIONUM CURIÆ ILLUSTRISSIME PRINCEPS, ILLUSTRISSIMI PRÆSIDES, SENATORES ORNATISSIMI, AUDITORES OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI. *Illucescit dies omnium quos huc usque vixi carissimus, qui me ab annis ferè viginti publicum hoc munus cogitantem, & privatis in Ædibus longo præludentem exercitio, in ipso Academiæ Parisiensis gremio, artis quam profiteor dat vocari Magistrum. Enim verò cùm pro-*

movendæ olim Physices experimentalis consilium inirem, meque ad illud opus accingerem obsitum multis & variis laboribus; erat id imprimis altâ mente repositum ut quas modò incœperam Lectiones, ab ipso limine futuræ utilitatis specimina quædam exhiberent, & haberentur aliquando dignæ quæ in usus publicos authoritate Regiâ consecratæ posteris commendarentur.

Quæ quidem dum tacitè precarer Civibus meis, ea ipsa apud exteros jam fieri audiebam; Principumque munificentiâ, vel politicis Magistratuum consiliis augeri. Quin & ego sæpè consultus, sæpè rogatus instituta illa quasi manu præsente adjuvabam; quippe qui innumerabilem instrumentorum supellectilem, opus magnâ ex parte meum, Artificibus commodaverim imitaturis: nec semel machinas aut apparatus amore patriæ excogitatos, extrà patriæ fines, non sine quodam mœroris sensu exportandos curaverim; dolebam enim in tantâ Urbe nostrâ Scholam Physicæ experimentalis publicam desiderari, ubi certè nihil eorum desideratur quæ possunt aliquo modo conducere, vel ad promovendum, vel ad perficiendum quodlibet doctrinæ aut disciplinæ genus; tædebat me illam Philosophiæ partem, methodo suâ novam, certissimam, jucundissimam, non proprio suo inter alias, & nomine & Magistro gaudere; carere illam munere quodam perpetuo, cujus obtinendi spes alicui animum acueret & industriam, ut stadium illud mecum adhuc vivo passibus æquis junior peragraret, & morituro mihi melior sufficeretur.

Hic igitur finis est tædiorum meorum, hic desideriorum cumulus; hodiè physicarum rerum curiosis panduntur Regiæ Na-

varræ fores ; novum aperitur Experimentis Theatrum unde quotannis naturæ leges explicentur , & phœnomena ; quodque vix unquam ſperare auſus eſſem , ſuggeſtum hunc honoratiſſimum mihi primo , veſtrâ ſanè benevolentiâ contigit aſcendere.

Ergò vos dicam Sodales , VIRI OMNIUM DISCIPLINARUM MAGISTRI , *quorum ab ore pendens ſtudioſa juventus informatur patriæ ſpes cariſſima : ergò vos dicam Sodales , quorum* ILLUSTRISSIMA ACADEMIA *ubique terrarum celebratur ; quos qui ſcire amant undique adeunt audituri , quos audiviſſe omnes meritò gloriantur. Tale adipiſci conſortium quàm dulce , quàm præclarum eſt ! O utinam conceſſum mihi tantum decus paris decori virtutis indicium eſſet ! Sed quantò benigniùs actum eſſe mecum ſentio , tantò major me grati animi neceſſitudo obſtringit, ut grates referam debitas & munere credito diligenter perfungi enixè ſtudeam.*

Memorem experieris me , AMPLISSIME RECTOR , *qui ſtudiis noſtris & augendis & ornandis totus incumbens artem meam cooptaſti ; meque in gratiam novæ profeſſionis cooptandum benignè judicaſti. Memorem noviſſes me,* PRÆSUL ADMODUM VENERANDE, SUPREME HUJUS REGIÆ DOMUS MODERATOR, *quem fato functum hodiè lugemus, qui me de Phyſicâ lectiones habiturum exceperas humaniſſimè , quique eâ ſaltem quam offerebamus diſciplinâ rerum naturalium ad res divinas mentem attolli diſertè teſtatus es, hæc profectò edoctus Apoſtoli verba ,* inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. *Memorem & vos habebitis me* REGIÆ

NAVARRÆ DOMESTICI PRÆSIDES, *quibus primùm venit in mentem, quæstiones physicas instituto Experimentorum apparatu exponere, tractare, illustrare, in commodum non hujusce tantum, sed omnium quotquot sunt in universo studio Parisiensi Gymnasiorum : Vos, inquam, utilitatis publicæ generosissimi Amatores, qui me tam nobili proposito plaudentem, ut par erat, Curiæ & summis Magistratibus, obtulistis exsecuturum, & in hanc tandem aream quasi manu adduxistis.*

Faxit, Deus optimus, maximus, ut conatus mei eorum votis dignè respondeant quibus videntur & ars mea hominibus nostris profutura, & vires meæ posse recepto muneri sufficere; sumant indè studia Parisina aliquid decoris & incrementi; juvenes nostri naturæ phœnomena curiosiùs perscrutati magisque ac magis edocti Deum, cui tota natura paret, & agnoscant Fideles, & grato animo amplectantur.

Quoniam verò sapientibus Magistris, quorum prudentiâ & judicio lectionum nostrarum ratio instituenda fuit, id visum est plus utilitatis habiturum si patriâ linguâ uteremur; ne, si latinè dicerem, difficultas indè aliqua rebus plerumque intellectu difficilioribus superadderetur, atque inanis labor Physices Alumnis; hoc mihi dabitis, VIRI ACADEMICI, *ut hâc primâ vice Orationem habens gallicam in conspectu vestro, doceam quæ* sint partes adimplendæ, ut quis Physicam experimentalem felici labore prosequatur. *Et ecce opus meum aggredior.*